



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 9. Sarisberiensis Comitissa Poli Cardinalis Mater extremo suppicio
affecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

exhaurire statuit, eo consilio, ut Scotiæ Sæcul. XVI.
 Regem ad suas partes pertraheret, eum-
 que eo induceret, ut is suo erga Sedem
 Apostolicam obsequio nuntium mitte-
 ret, quam in rem Henricus quemdam
 Deputatum ablegabat, qui Eboraci col-
 loquium haberi peteret. Evidem Ja-
 cobus propositioni factæ annuit, seque
 Ebo acum petiturum promisit, quinimo
 Henricus jamjam eo venerat Jacobi ad-
 ventum præstolaturus. Verum Scotiæ
 Regis amici Religionis Catholicæ stu-
 diosissimi funesta ejusmodi colloquii ma-
 la tanto rationum pondere eidem expo-
 nebant, ut promissam consultationem
 honesto prætextu eludere decerneret.
 Cum ergo jamjam Henricus Eboraci
 adventantem Scotiæ Regem exspecta-
 ret, derepente ad eum Scotiæ Rex lite-
 ras dedit, quibus ipse hujus colloquii
 opportunitatem subito præpeditam offi-
 ciosa excusatione exponebat. Verum
 hac repulsa Angliae' Rex tantopere of-
 fendebatur, ut honori suo labem exinde
 inustam ratus, paulo post utrumque Re-
 gnum capitali inimicitia involveret,

§. IX.

*Sarisberiensis Comitissa Poli Cardi-
 nalis Mater extremo suppli-
 cio affecta.*

Ni-

Sæcul. XVI.
A.C. 1541.

Act. publ.
Angl. t. 14.
p. 652.

Nihilominus hæc utriusque Regis dis-
fidia funestas Catholici populi cla-
des in Anglia minime impediebant;
quippe ibidem mortis pœna plecteban-
tur omnes, qui palam summi Pontificis
partes tuébantur, aut Henrici Regis au-
sibus adversari credebantur. Ut vero
crudelitatis libere fræna laxaret, in
mandatis dedit, ut Sarumensis seu Sa-
risberiensis Comitissa Cardinalis Poli
Mater extremam subiret sententiæ seve-
ritatem, cuius tamen executionem per
integrum biennium differebat, spe fre-
tus, Cardinalem hac dilatione permot-
tum iri, ut cum Rege paulo indulgen-
tior esset, nec ultra calatum adversus
eum stringeret: cum vero in Septen-
trionalibus Regni sui Provinciis novas
seditiones erumpere cerneret (*), hanc
Matronam virtutibus adeo claram capi-
te plecti jussit, cuius morte Plantagene-
tarum nomen & genus uno iictu exci-
sum fuit.

§. X.

(*) Injuria huic nobilissimæ feminæ ejus-
que filio infertur, si ob motas seditiones capi-
te plexa diceretur: de ea enim Scriptores
cum Florimundo Ræmundo l. 6. c. 4. hæc refe-
runt: *Ea damnata capite, quod literas a filio
acepisse diceretur, & quinque Christi vulnerum
imaginem in pectore gestasset.*